

& Romanum, quibus tria demum capitula Theodoret, Iba Edesseni, & Theodori Mopsuesteni proscripta damnataque, ipsi ex adverso triplicem istam condemnationem præfracte reprobarunt; omnemque cum Vigilio communionem pertraxerunt. Quo vero major esset schismaticorum auctoritas, Episcopum Aquilejensem præferunt, eique Patriarchæ nomen & insignia attribuerunt, in emulationem Romani Pontificis, & Patriarchæ Constantinopolitani. Postquam autem Græci oram maritimam Provinciæ Istriæ atque Forojulii armis recuperant, Longobardi adhuc Aquilejam occupantibus, Græci per defectum Aquilejensis Episcopi, Gradensem Episcopum Patriarcham novum creaverunt. Cum vero ob stagnantes aquas aerisque intemperiem Aquileja inhabitabilis evasisset, Patriarcha ipse Aquilejensis in Utinense oppidum sedem suam transtulit; unde dictus Utinensis Patriarcha: nonnunquam etiam apud Forum Julii confedit, unde aliquando dictus Forojulienis Patriarcha, quem vocat eundem Valafrius. Strabo de reb. Eccl. cap. 25. Patriarchatum denique Gradensem anni 1451. Nicolaus Romanus Pontifex V. in Urbem Venetam transtulit, & Laurentium Justinianum, qui jam erat Venetiarum Episcopus, Patriarchalibus insignibus & titulo decoravit. In calce hujus Aquilejensis Concilii una cum Aquilejensi Patriarcha decem & septem recentiorum Episcoporum, nullus tamen aut Utinensis, aut Forojulienis, aut Gradensis Præsul subnotatur. Etiam si vero Concilium istud vocetur Aquilejense ob dignitatem Patriarchatus & Provinciæ Aquilejensis, fuit tamen in urbe Utinensi celebratum, ut constat ex attestatione Concilii hujus concessa Canonico Tergetino, quem Tergetinus Episcopus miserat ad Concilium, ad excusandum se de sua absentia, causasque allegandas, cur ad Concilium proficisci non posset. Ea vero attestatio Concilii sic exorditur: *In civitate Utini die 28. Octobris 1596. coram Reverendissimo Domino Patriarcha Aquileje Metropolitano Reverend. Presbyter Dominus Michael Passera Canonicus Tergetinus, specialis nuncius pro Reverendissimo Domino Episcopo Tergetino, ad exponendas excusationes ejusdem Reverendissimi Domini Episcopi in Synodo Provinciali Aquilejensi, ut patet mandato sui Procuratoris sub die 26. Octobris ejusdem anni manu Domini Georgii Picardi Notarii Tergetini.*

2. Prænotandum hic funi novæ lucis prope diem accessuræ ex præclarissimo mihi exhibitio Opere, quod in publicum edere molitur vir multæ eruditionis, ingenuitate præterea morum, ingenique acuminis admodum spectabilis Josephus Antelmus, de cujus amicitia mihi valde gratulor, cujus lucubratione Forojulienis Ecclesia intra secundam Narbonensem Provinciam constituta, vindictia laudis insignis ac gloriæ pene sepulta est recuperata.

3. Tit. XIX. de Monialibus. *In Monasteriis, in quibus proprietates exulat, & omnis affectio corrupta, servetur illa rerum omnium communio, que nihil habet, & cui nihil deest; qua in egestate rerum copiam habet, & nihil omnino habet: si quid enim est, hoc habet usu, non affectu: que quidem dives in omnium Monialium domos & vitam pastoralis prudentia & vigilantia invehenda est.*

S. Basilius in regulis suis disputatis c. 8. *Ipsi (inquit) Domini verbis religiosum ac timentem Dei animum magnopere commoveri oportet, qui palam testificatur: Quicumque ex vobis non renunciat omnibus, que possidet, non potest meus esse discipulus. Et alio in loco, post oblatam illam conditionem: Si vis perfectus esse, verba illa subjicit: Vade, vende omnia que habes, & da pauperibus, & sequere me. Atque etiam similitudinem illam de negotiatore huc quoque manifeste spectare nemo non intelligit: Simile est regnum calorum homini negotiatori querenti bonas margaritas, inventa autem una pretiosa margarita, abiit & vendidit omnia que habuit, & emit eam. Planum est, pretiosam margaritam caleste regnum significare hoc in loco; quod regnum non assequi posse Dominus negat, nisi omnia simul, que habemus, divitias, gloriam, genus, & si quid sit aliud eorum, quibus plerique ambrosius inhiant, pro eo parando neglexerimus. Idemque in regulis brevioribus cap. 85. adruit, in societate fratrum neminem privatim quiddam possidere posse tanquam proprium. Et allegat Act. 4. de primis Christianis: Neque quisquam eorum que possidebat, aliquid suum esse dicebat.*

4. Indidem. *Communis esse debet Monialium mensa, ad quam omnes, exceptis egrotantibus, convenire debent, ac tenerentur. In mensa communi non desit spiritalis aliqua lectio, qua corporales cibi suaviter condiantur. Debent enim que Deo vivunt, spiritu magis vivere, ut licet necessitati corporis serviant, plus tamen animo semper tributum velint. Liber vero adlectionem mensæ adhibendus a Confessario probetur.*

Basilius in regulis brevioribus cap. 180. factam lectionem adhiberi vult ad communem Regularium refectionem: Idemque prescribit Augustinus in regula cap. 7. *Nec solum vobis fauces sumant cibum, sed & aures esuriant verbum Dei. Et Benedictus in sua regula cap. 38. Mensis fratrum edentium lectio deesse non debet. De ableganda singularium rerum proprietate præclare differit Basilius tract. de constitutionibus monasticis, cap. 18.*

5. Indidem. *Silentium, obedientia, humilitas, caritas, ac reliqua Christiana virtutes inter regulares personas gemmarum clarissimarum loco sint, quibus præcipue Monialium domus & familia exornetur.*

Basilius tract. de constitutionibus monasticis, c. 11. *Silentium Monachis jubet esse præcipua cura atque observantia, recordantibus ejus quod Christus admonet, de omni verbo otioso reddendum esse apud DEUM rationem in die judicii. Et adjungit: Verborum autem, ut opinor, utilitas fuerit, si aut de virtute in loco differatur, aut si in rei alienius, que facienda infer persequatur, sermo accommodetur, aut etiam denique ad audientium edificationem referatur. Qui autem in alio aliquo quovis genere sermones versentur, ii rejici tamquam supervacantes ac inutilis debent. Vitanda autem omnes omnino in sermone facietie & scurrilis dicacitas sunt. Si quidem fieri solet, ut qui sese in rebus istiusmodi occupant, ii rectam rationem deriderant: Quippe cum ex colloquio fiat, ut animus ad ridicula diffundatur, & in tacita secum cogitatione gravitatis severitatisque nervos omnes elidat. Hactenus Basilius: qui capitulis sequentibus reliquas profequitur excolendas virtutes, mansuetudinem, & caritatem, cap. 13. prudentiam, c. 14. fidem & spem, cap. 15. humilitatem, quam vocat *diversitatem dierum, custodiam thesauri cunctarum virtutum*: Deinde cap. 22. Obedientiæ virtutem mirifice commendat.*

Indidem. *Que a regula nomen ducunt, eam cui se solenni professione astrinxerunt, nosse regulam debent. Episcoporum igitur diligentia efficere debet, ut regula inter Moniales (ubi hactenus omnia est) lingua Italica ab aliqua ex Monialibus, que lectio obunde aptior fuerit, & ab Abbatisa seu Priorissa deputabitur, frequenter legatur: atque illa quidem in duas distinguatur partes, ita ut quotidie legatur aliquid post conventuales Missæ officium, vel in choro, vel alicubi ubi commodius possit, de tribus que emittuntur in professione voti, ut scilicet inculcentur & auctore Deo aliquando herent; alia vero per ordinem, ut quoties festo die legatur quatuor aut quinque capita, & sine in principium redeatur, nunquam vero intermittatur. Idem legendum Abbatisa seu Priorissa Moniales moneat & redarguat, si quid minus servetur aut negligatur: excitet vero ad correctionem, & ad futuræ gloriæ cupiditatem igniculos, addens & semina Christianæ pietatis. Si quid penes a regula ob quodcumque commissum aut omissum statuum est, hoc Præfecta exequatur: si fuerit oppositum impedimentum, Confessarium consulat, aut Episcopum moneat.*

6. Indidem. *Statis horis tam matutinis quam diurnis & vespertinis Præfecta curent, ut omnes Moniales in Ecclesiam ad laudes Deo persolvendas conveniant: nulla vero Monialis quocumque præterea excusetur a choro, nisi vel aegritudinis causa, vel egrotantium custodia, vel justis impedimentis excusatione; quam Præfectarum munus erit cognoscere, & si legitima erit, admittere. Que in chorum non venerint, pœna regula, aut alia etiam graviore pro culpe modo a Præfecta plectantur; ac si contumacius perseveraverint, Episcopo significetur, & medicum conficiat ipsi aegritudini accommodandam.*

S. Augustinus in regula cap. 5. ait: *Orationi instare horis & temporibus constituitur. Idemque lib. de opere monach. cap. 29. Multo mallem per singulos dies certis horis, quantum in bene moratis monasteriis constitutum est, aliquid manibus operari, & certas horas habere ad legendum, & orandum, aut aliquid de divinis literis agendum liberarum, quam tumultuosissimas perplexitates causarum alienarum pati de negotiis secularibus, vel iudicando dirimendis, vel interveniendo præcudinendis. Agmen testium veritatis claudat sanctus Abbas Clarevalensis homil. de margarita, sic dicens: *Que est ista queso, fratres carissimi, tam pretiosa margarita, pro qua universa dare debemus, id est nosmetipsos, quia totum Deo dedit, qui seipsum obtulit, ut possimus eam habere? Nonne hæc religio sancta, pura & immaculata? In qua homo vivit purus, cadit rarius, surgit velociter, incedit cautius, erratur frequentius, quiescit securus, moritur confidentius, purgatur citius, premiatur copiosus.**

CONCILIIUM MECHLINENSE

Anni 1607.

I. Tit. XV. de Superstitione. *Nemo ad morbos vel vulnera hominum aut brutorum curanda superstitionis remediis utatur; vel super rebus superstitiis, aut super futuris eventibus, ac quibusvis secretis, divinis seu pro divinis se venditantes consulere presumat. Si quis aliquid horum fecerit, & monitus non abstinerit, mox ipsi Ordinario vel Officiali denunciatur, juxta bullam Sixti V. editam contra exercentes astrologia judicaria artem que incipit: Cæli & terre Creator. Et quoniam rudis populus sepe ex ignorantia superstitionibus inquinatur, Parochi subditos suos diligenter de illis doceant. Et inter cetera superstitionum esse, expellere quemcumque essetum a quacumque re, quem res illa nec ex sua natura, nec ex institutione divina, nec ex ordinatione vel approbatione Ecclesie producere potest.*

Indidem. *Nullus omnino exorcizare presumat sine licentia Ordinarii in scriptis obtenta: nemo etiam utatur aliis exorcismi, quam ab Ordinario approbati, vel potestate exorcizandi alla ratione abutatur, sub pœna perpetua privationis illius officii, & alia arbitraria.*

De ariolis & aruspiciis ac fortilegiis Levit. 20. 6. *Anima que declinaverit ad magos & ariolos, & præcavitur filium cum eis, ponam faciem meam contra eam, & interficiam illam de medio populi sui. Deuteron. 18. 9. Quando ingressus fueris terram, quam Dominus Deus tuus dabit tibi, cave ne imitari velis abominabiles illarum gentium, nec inveniaris in te qui iustret filium suum aut filiam ducens per ignem, aut qui ariolos sciscitetur, & obseret somnia atque auguria, nec sit maleficus, aut incantator, nec qui pythones consulat, nec divinos, aut querat a mortuis veritatem: Omnia enim hæc abominatur Dominus, & propter istiusmodi scelera delebit eos in introitu tuo. Sunt & alia innumera in Scripturis divinis loca. Saul Rex, occisus Magis, nihilominus Pythonifam consulit; a qua per necromantiam sui exercitus cladem & suam suorumque mortem addidit. Ochosias Rex Israel ægotans dum mittit ad Acharonitas consulunt de sua valetudine idolum Beelzabul, occurrit ejus nuntius Helia Dei Propheta, eisque prædicat Regis mortem imminente in pœnam criminis, quo demonium consulere attentasset. Sacra Ecclesie Concilia anathemate feriunt quoscumque ad divinos seu magos recurrentes, ut ad demonia fortes, & phylacteria. Ita Laodiceum, can. 36. Agathense, can. 42. Aurelianense primum, can. 32. Carthaginense quartum, can. 89. Plura require apud Gratianum, causa 26. quest. 1. 2. 3. 4. 5. Varia superstitionum genera condemnando commemorat Augustinus lib. 1. de doct. Christi. cap. 19. 20. & 21. Vide etiam in Decretal. de fortilegiis.*

CONCILIIUM NARBONENSE

Anni 1609.

I. Tit. XXVI. de Episcopis. *Primum in sanctis meditationibus & orationibus certam sibi quotidie horam sumat Episcopus, quam in studio & exercitatione divinarum contemplationum instigat: in quibus Deo non pro se tantum, sed pro fidelibus sibi commissis preces fundat humiliter, ut quod in ipsis contractum est divina bonitate alligetur, quod languidum est, sanetur; perditum reparetur; & quod bonum est, conservetur. Singulis diebus ad vespeream horam designet, qua suam familiam in sacellum domesticum aut oratorium convocet, ubi ipso presente, si non impeditus sit, recitari faciat Litanias & pias Orationes; tum quisque breve examen conscientie efficiat: pro festis diebus Missæ saltem sacrificio inter se Episcopus, si ipse celebrare non possit: Dominicus vero & festivis Missam dicat, cum ipse sit assumptus ex hominibus, ut pro peccatis populi sui sacrificium offerat.*

Quotiescumque munia Pontificalia exercebit, paratus accedat, post Missam celebratam in fine expresse orabit, ut sibi præsto sit Dei gratia in tali munere obundo; ut vero populus ministerii ab eo peragendi, illiusque institutionis causas odorari possit, priusquam ea munia aggrediat Episcopus, easdem brevi ad populum habita concione explicabit.

Canonicas Horas distincte & attente, si non cum choro, apud se recitent Episcopi statis horis, & quas prævidendo potius quam tardando persolvere debent.

Singulis diebus festis & Dominicis in choro Divinis Officiis, saltem Missæ & Vespers intersint.

Officiarios, & maxime Officiales ac Promotores, viros proba vita & doctrina conspicuos insistant, ut si aliquantulum in scientia deficient, illud vite probitate & integritate compensent.

Se faciles advenibus præbeant, præsertim vero conquerentibus de injuriis receptis, denunciandis ex caritate defectus subditorum quorumcumque, & pauperum miserias vel infirmorum dolores declarantibus; quibus ita paterna dilectione provideant, ut egentibus largas elemosinas concedant, inimicos reconcilient, infirmos visitent, quibus sanctam benedictionem concedendo & dolorem levabunt, & forsitan ex DEI bonitate sanitatem restituent.

Convivia non faciant frequentia, a laicorum nimia familiaritate abstineant, ne sic dignitas imminuat, sed tempus pro exercitatione assumendum sacrorum librorum lectioni & piis hominum colloquiis impendant, perentibus maxime consilium dent, & afflictos benigne consolentur. In domibus suis feminas non admittant: domesticos de fide bene sentientes, modestos & pios habeant, quos semel in mense confiteri & sacram Eucharistiam sumere procurent: & lectionem sacrorum librorum in mensa per Clericum faciendam.

Frugali mensa & mediocri suppellectili contenti sint Episcopi: atque in reliquo vita genere frugalitatem sectentur & mediocritatem; caveantque, ne quid in tota familia sua ab hoc sancto instituto alienum appareat, quodque simplicitatem, pietatem, divini cultus ardorem, & vilitatem mundique contemptum non præ se ferat: sicut enim sordidis & maculatis vestibus indui non est conveniens, ita pretiosis & profanis aut varie contextis uti non decet. Non in publicum prodeant sine talari tunica & rochet. Juxta temporum & locorum rationes vestiantur modeste, ita ut gravitatem sapiant, sive in publico, sive privatim, sive in itinere, sive in civitate, semper in eo habitu & forma incedant, quo appareant & iudicentur Episcopi. Tonsuram semper conspicuam gerant in capite grandiore multo quam ceteri inferiores Sacerdotes, tanquam a terrenis curis magis abstracti. Populo semper sanctam benedictionem imperantur, dum per civitatem, aut diocesim incedunt.

Picturas omnes profana representantes domi non retineant, obscenas omnino rejiciant, easque tantum habeant, que ad pietatem provocant intuentes.

Quos habeant domi Clericos, non nisi clericali & decenti habitu uti permittant, illosque non retineant nisi sint bone existimationis. Opera misericordie frequenter exercent; ut sancta conversatione quasi Episcoporum testes sint & imitatores: quorum unum super familiam constituant, qui laicorum domesticorum actiones percunctetur, & videat, num aliquid præter decentiam Christianæ conversationis perpetret, & delinquentes corrigat: non enim fas est in tali familia scandalosos, aut ullius criminis suspectos esse: ideo errantes per se severe repriment Episcopi, pertinaces excludant & familia, agrotantes omni sollicitudine & pietate curent, nec sumptibus parcant.

Gravem aliquem secularem & regularem Confessarium eligant, qui sit sacra scientia, prudentia & vite sanctitate insignis, cuius studio & precationis spiritu in gravioribus difficultatibus uti possint.

Capitulis Metropolitanis & Cathedralibus Ecclesiarum præcipimus, ut statim post mortem Prælati, Metropolitanum & Coepiscopos nostros commoneant, qui omnes solenni ceremonia Missam pro defuncto celebrari curabunt: tum indictis publicis supplicationibus Deum deprecabuntur, ut oratio regi velit juxta cor suum Pastorem mature concedere.

2. Reliquæ hujus Concilii constitutiones hic omittuntur, quia pervix frequentesque sunt in alio qua præcellerunt: istud vero caput de Episcopis seorsim selegimus ea de causa, quia partes officii Episcoporum spectatim magis & accuratior diligentia exequitur. His tamen adjungendam sequentem constitutionem ex capite 32. duxi, qua prudenti cautione providetur, ne beneficiorum bona mobilia, inter quæ chartæ & fundationum instrumenta aliaque scripta jura præcipue spectanda sunt, disperdantur aut distrahantur inaccessu aut decessu beneficiariorum.

3. Cap. XXXI. De Beneficiis conferendis. *Provisionem beneficium recipientes ejusdem possessionem adepti, mobilia ad beneficium pertinentia fieri inventarium procurabunt, scientes, se tenere, prout presenti decreto statuimus, & ordinamus, quod beneficiarii cujuscumque beneficium decedentes, resignantes, aut permittentes, eadem mobilia, que ad beneficium pertinent, successoribus relinquunt: ad quod omnia & quacumque bona defuncti aut cedentis beneficium obligata maneat: tum ut frans omnis vitetur, defuncti beneficiarii bona, requirente Promotore Episcopi.*